

cum dilectione Dei dilectio proximi copulata intime esset, ex eaque dimanaret. Eamque ob causam & Christus, summam legis, seu, ut cum Pufendorff loquar, legem fundamentalem iuris diuini propositurus, non dicit: diligere proximum tuum: sed: * diligere Dominum DEum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, quod addo ex Luca, & ex tota mente tua: hoc est primum & magnum praeceptum: secundum autem simile est huic: diligere proximum tuum, sicut te ipsum. Ab istis duobus praeceptis tota lex & Vates pendent. Hoc ergo si sequendum est exemplum, officia in Deum & homines dirimenda non sunt, sed indissolubili vinculo combinanda, & haec ex illis duducenda.

§. 10. Si autem penitus rem introspiciam, & expendam, affirmare tantum non ausim, socialitatem ne pertinere quidem ad id, quod erga alios iustum est, sed ad honestum. Per eam enim ex mente Putendorffii ** innuitur eiusmodi dispositio hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentia, pace & charitate, mutuaque adeo obligatione coniunctus intelligitur, ab eaque non multum differt Cumberlandi lex de studio communis boni, & exercenda erga omnes charitate, quantum fieri potest, maxima. *** Iam vero iustum non ex impulsu aliquo amoris, sed ex rigida obligatione ad legem proficiscitur superioris, ita ut si id non fecerimus, grauem poenam meruisse, si autem fecerimus, debitum praestitisse officium censemur. Quod uti spectat ad conservacionem nostram, cum sine eo saluis nobis haut liceat esse, ita si ampliorem reddamus felicitatem nostram, veramque animi tranquillitatem augeamus magis, exuberantia legitimi amoris ulterius progrediendo, quam quo lege ad-

B 2

strin-

* Matth. XXII, 37. ff.

** De I. N. & G. II, 3, 15. p. 208. §. 18. p. 214. communem amorem vocat.

*** ibid. pag. 210.